



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Margarita Evangelica

Essche, Nicolas van

Coloniae, 1545

Vt nos ipsos circa has horas consideremus. 37

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49323)

MARGARITAE EVANG.

Qualiter ad omnes horas nosipfos confiteri  
derare debeamus. Cap. XXXVII.

Ad matutinas.

**H**Ora matutina attendere & agnoscere debemus, vtrum virtus diuina extra carnis pigritiam in spiritus alacritatem, & extra cordis cæcitatem in diuinam claritatem nos subleuarit & attraxerit. Hicque duo puncta sequemur, studiosam videlicet diligentiam exterius in corpore, & spiritus exercitationem intus in diuino lumine.

Ad primam.

**H**Ora prima aduertere debemus, vtrum diuina sapientia in animas nostras profuserit, ita vt perfectum ac imperfectum nostrum agnoscere possimus. Et huc duo pertinent, scientia videlicet cordis, & innouatio spiritus.

Ad tertiam.

**T**ertia hora agnoscere debemus, vtrum ignis diuini amoris animam nostram omnesque vires illius perfluxerit, ita vt ad instar ignis omnia peccata nostra diuinus amor conflagrabit, quemadmodum ignis omnia tam magna, quam parua ligna consumit. Et huc duo spectant, lectio videlicet ad Deum desideria, & oratio deuota.

Ad sextam.

**S**exta hora attendere debemus, vtrum diuina largitas in animas nostras effluerit, ita vt amicos atque cognatos, animam & corpus, omnem delectationem & mundum vniuersum despiciamus.

### LIBER III.

ita vt nihil sit, quod nos impediatur. Ad quod nimirum duo requiruntur, solitudo videlicet, id est, abstractio & elongatio ab omni re creata, & stabilis immansio in summo illo bono, quod est ipse Deus.

#### Ad nonam.

**H**Ora nona considerare debemus, quid diuinitas in cruce operabatur, quomodo videlicet exhibebat nobis diuinam fidelitatem, paternum amorem ac miserationem erga genus humanum. Huc requiruntur esuries ac sitis ad Deum continua.

#### Ad vesperas.

**H**Ora vesperarum perpendere debemus, vtrum quies diuinitatis in animam effluerit, ita vt pacem seruemus cum Deo, cum nobis ipsis, & cum omnibus creaturis. Et huc duo spectant, filietium videlicet ac introuersio.

#### Ad completorium.

**H**Ora completorii agnoscere debemus, vtrum mirabilia Dei animam nostram perfuderint, ita vt eadem agnoscere possimus. Sunt autem quatuor stupenda & admiranda in Deo. Primum est, quod Deus homo, & homo quodam modo factus est Deus. Secundum, quod in cruce Deus Deum inuocabat. Tertium, quod mortuum corpus suum in sepulchro suscitauit, & denuo assumpsit. Quartum, quod sine alicuius adminiculo diuina virtute sua in coelum ferebatur. Et huc quatuor spectant, querere videlicet, inuenire, contemplari & frui. Et tunc anima, quod desiderat, habet.

De tertio, quod habere debemus in exercitio

EE v      citio